NOVÆ SPECIES ARANEARUM

a Cel. Th. Workman in ins. Singapore collectæ.

DESCRIPSIT

T. THORELL

Trib. TUBITELARIÆ.

Fam. **Zodarioidæ.**

Gen. STORENA (Walck.), 1805.

1. **S. annulipes,** n., *cephalothorace piceo, lævi, nitido, fronte minus fortiter rotundata latitudine fere ⅔ latitudinis partis thoracicæ æquante; oculis anticis pæne æqualibus posticos oculos, præsertim medios, magnitudine paullo superantibus, serie ab oculis mediis anticis et lateralibus posticis formata modice recurva, a fronte visa pæne recta, vix vel parum deorsum curvata, oculis binis lateralibus spatio parvo sed evidenti separatis; abdomine supra et in lateribus rufescenti-nigro, maculis parvis albissimis circa 14 in dorso ornato: 4 paullo majoribus trapezium formantibus anterius, tum 4 parvis magis inter se appropinquantibus et fere in quadratum dispositis, dein 2 paullo majoribus et magis separatis in medio inter hoc quadratum et anum, denique, supra anum, serie media longitudinali macularum 4.* — ♀ jun. *Long. saltem 5 millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* pæne dimidio longior quam latior, non parum longior quam tibia cum patella 4.ⁱ pa-

ris, utrinque anterius evidentissime sinuato-angustatus, parte cephalica lateribus anterius paullo rotundatis anteriora versus paullo angustata, fronte minus fortiter rotundata fere $^2/_3$ partis thoracicæ latitudine æquante; a latere visum dorsum ante declivitatem posticam satis præruptam et leviter convexam primum pæne libratum et parum convexum est, dein, in parte cephalica, paullo altius et usque ad oculos modice convexum (non inter partes thoracicam et cephalicam impressum), area oculorum mediorum fortiter proclivi, clypeo pæne directo et paullo convexo. Lævis et nitidus est cephalothorax, impressionibus cephalicis evidentibus, sulco ordinario centrali sat tenui et brevi. Area *oculorum*, circa dimidio longior quam latior, pæne totam frontis latitudinem occupat. A fronte visa series eorum antica sat fortiter deorsum est curvata (linea recta oculos medios anticos infra tangens laterales anticos non tangit), postica fortissime deorsum curvata; desuper visa series antica parum procurva, pæne recta, est, oculis lateralibus prominulis, series postica sat fortiter procurva. Series ab oculis mediis anticis et lateralibus posticis formata a fronte visa recta, vix deorsum curvata est, desuper visa modice recurva (paullo minus fortiter curvata quam series postica). Oculi medii aream occupant paullo longiorem quam latiorem, vix latiorem antice quam postice. Oculi medii antici oculis posticis, mediis præsertim, evidenter paullo majores sunt, lateralibus anticis vix vel non majores. Spatium inter medios anticos dimidiam eorum diametrum vix æquat; a lateralibus anticis spatiis hac diametro modo paullo minore separati videntur medii antici: a mediis posticis spatiis diametro sua paullo majoribus sejuncti sunt, a lateralibus posticis etiam paullo longius remoti. Spatium, quo oculi medii postici sunt separati, eorum diametro paullo minus videtur: a lateralibus posticis spatiis diametro sua plus duplo majoribus remoti sunt hi oculi. Spatium inter oculos binos laterales parvum quidem sed distinctissimum est. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei longitudinem mandibularum paullo superat.

Mandibulæ reclinatæ, conicæ, circa dimidio longiores quam latiores, femoribus anticis non parum latiores basi, læves, nitidæ, tuberculo basali in costam tenuem longitudinalem producto in latere exteriore munitæ. *Maxillæ* apicem sub-acuminatum versus sensim angustatæ, in labium inclinatæ et incurvæ. *Labium* magnum, longius quam latius, triangulum, lateribus leviter rotundatis apicem acuminatum versus sensim angustatum. *Palporum* pars tarsalis, partes patellarem et tibialem conjunctas longitudine æquans, basi partem tibialem crassitie saltem æquat, a basi ad apicem sensim angustata. *Pedes* non multo graciles, pilis sat dense conspersi, et aculeis sat multis præsertim in pedibus posterioribus armati. *Abdomen* breviter ellipticum, postice sub-acuminatum, læve, nitidissimum. *Mamillæ* inferiores superioribus circa duplo longiores et crassiores, mamillæ mediæ superioribus non parum angustiores sed vix breviores.

Color. — *Cephalothorax* piceo-niger, *sternum* cum *labio* ferrugineum. *Mandibulæ* piceæ, apice paullo pallidiores. *Palpi* ferrugineo-testacei. *Pedes* ejusdem coloris, nigro-annulati: femora apice annulo singulo cincta sunt, tibiæ annulis binis, basali et apicali; metatarsi 3.ii paris apice subter anguste nigri videntur; metatarsi vero saltem 2.i e 4.i parium et tarsi saltem posteriores, ut coxæ et patellæ omnes, toti pallidi sunt (metatarsis et tarsis 1.i paris caret nostrum exemplum). *Abdomen* supra et in lateribus rufescenti-nigrum est, maculis multis albissimis satis inæqualibus non magnis hoc modo pictum: dorsum ante medium maculas 4 non ita parvas in trapezium dispositas ostendit, paullo pone eas vero alias maculas 4 parvas fere in quadratum, trapezio illo multo minus, ordinatas, quarum anteriores fere in medio dorso locum tenent; inter vel paullo pone posteriores earum series media longitudinalis macularum circa 4 parvarum initium capit, quarum ultima, apicem dorsi occupans, reliquis major est. Postice in dorso, fere in medio inter quadratum illud et anum, duæ maculæ paullo majores conspiciuntur, spatiis majoribus ab eo et inter se se-

paratæ, quam quibus distant maculæ quadrati inter se. Latera abdominis inferius et venter rufescenti-cinerea fere sunt; latera infra maculis inæqualibus albicantibus saltem ad partem in seriem longitudinalem dispositis notata sunt; venter vestigia maculæ vel fasciæ albicantis utrinque ostendit. *Mamillæ* flavæ.

♀ *jun.* — Lg. corp. 5; lg. cephaloth. 2 $^{1}/_{2}$, lat. ej. circa 1 $^{2}/_{3}$, lat. front. circa 1 $^{1}/_{4}$; lg. abd. 2 $^{3}/_{4}$, lat. ej. pæne 2 millim. Ped. I ?, II 5 $^{1}/_{4}$, III paullo plus 5, IV 7 $^{1}/_{2}$ millim. longi; pat. + tib. IV paullo plus 2, metat. + tars. IV pæne 2 $^{1}/_{2}$ millim.

Feminam juniorem singulam satis mutilatam invenit Cel. Workman.

Trib. RETITELARIÆ.

Fam. **Theridioidæ.**

Gen. Argyrodes, Sim., 1864.

2. **A. fasciatus,** n., *serie oculorum postica desuper visa recta, serie antica a fronte visa pæne recta quoque; cephalothorace fuligineo, fascia media longitudinali antice furcata fusco-testacea ornato; pedibus fusco-testaceis vel -cinerascentibus, tibiis et metatarsis plerumque apice anguste nigris, metatarsis tarsisque annulo basali albo cinctis; abdomine retro et sursum longe pone et supra mamillas producto itaque a latere viso sub-triangulo, sub-fusco, in dorso tamen argenteo et fascia media longitudinali sub-fusca postice abbreviata notato, lateribus vittis binis argenteis postice nigro-limbatis deorsum a dorso ductis ornato, anteriore earum, in medio lateris sita, fere ?-formi et usque in ventrem pertinente; area inter apicem dorsi et anum argenteo-picta, ventre in medio area magna quadrata nigra argenteo-limbata occupato; capite maris sub oculis fortiter transversim impresso, clypeo infra in conum anteriora versus et sursum*

directum producto; vulva ex tuberculo forti rotundato convexo posterius foveolis duabus obliquis munito formata. — ♂ ♀ ad. *Long. 3 ½ — 4 millim.*

Femina. — *A. fissifronti*, Cambr., hæc species sat similis est, statura multo minore, colore præsertim cephalothoracis et formâ vulvæ feminæ capitisque maris facile dignoscenda. — *Cephalothorax* feminæ ad formam ut in affinibus est, plus dimidio longior quam latior; a latere visus supra modo levissime et æqualiter convexus est. Altitudo clypei longitudinem areæ oculorum mediorum paullo superat, longitudine ordinis ab oculis tribus seriei anticæ formati multo minor. Series *oculorum* antica a fronte visa parum sursum curvata, pæne recta est, desuper visa fortiter recurva; series postica a fronte visa paullulo deorsum est curvata, desuper visa recta, vix recurva. Area oculorum mediorum non parum (sed non oculi diametro) latior quam longior, plane rectangula. Oculi medii antici, spatio diametro sua paullo majore sejuncti, circa duplo longius inter se quam a lateralibus anticis distant; medii postici, spatio duplam diametrum suam saltem æquante separati, ii quoque duplo longius inter se quam a lateralibus posticis sunt remoti.

Mandibulæ femoribus anticis saltem duplo crassiores sunt, plus duplo longiores quam latiores. *Palporum* pars tibialis paullo plus dimidio longior est quam latior, parte patellari pæne dimidio longior. *Pedes* gracillimi. *Abdomen* sub-compressum, dorso leviter convexo sensim retro et sursum in conum fortem sub-acuminatum longe pone mamillas productum, mamillis longius ab apice dorsi quam a petiolo remotis. *Vulva* ex tuberculo forti sub-hemisphærico fusco constat, qui posterius impressiones vel foveolas oblongas duas sat parvas retro divaricantes ostendit.

Color. — *Cephalothorax* fuligineus, summo margine nigro et fascia media longitudinali lata fusco-testacea notatus, quæ antice in duos ramos partem cephalicam includentes divisa

est, hac parte præterea linea tenui longitudinali pallida persecta. *Sternum* pallide fuscum, anguste nigro-marginatum. *Mandibulæ* luteæ; *maxillæ* et *labium* testaceo-ferruginea. *Palpi* testacei, annulo uno alterove angusto nigro, parte tarsali magis lutea, immaculata. *Pedes* fusco-testacei vel -cinerascentes, tibiis et metatarsis apice angustissime nigris, metatarsis et tarsis annulo apicali sat lato albo cinctis. *Abdomen* fuscum est, in lateribus maculis minutis argenteis vel albis plus minus dense conspersum et nigricanti-reticulatum; dorsum ejus pæne totum argenteum est, fascia media longitudinali pallide fusca angustissime nigro-limbata, a basi circiter ad medium dorsi pertinente signatum. In utroque latere fascias duas argenteas postice nigro-limbatas deorsum directas ostendit abdomen, alteram fere ʃ-formem, in medio latere sitam et a dorso usque in ventrem pertinentem, alteram magis postice locatam, breviorem et parum curvatam. Apex dorsi utrinque lineam vel fasciam brevem argenteam ostendit, quæ duæ lineæ ∧ argenteum formant; spatium inter apicem dorsi et anum, quod inferius nigrum est, in medio vittam transversam deorsum curvatam argenteam, magis infra vero lineam tenuem rectam hujus coloris, denique, paullo supra anum, maculas duas rotundatas argenteas, spatio sat magno separatas, ostendit. Venter inter plicaturam genitalem et mamillas area magna quadrata nigra occupatur, quæ in lateribus et postice linea argentea limitata est. *Mamillæ* anteriores testaceæ, posteriores nigræ.

M a s a femina abdomine angustiore et forma cephalothoracis praesertim differt. Dorsum partis cephalicæ usque ad oculos æqualiter et secundum lineam rectam sensim modice assurgit, inter oculos medios paullo convexum sed vix proclive; frons paullo sub oculis anticis transversim profunde et late impressa est, fundo hujus impressionis á latere viso recto et sat prærupte proclivi; pars inferior clypei in medio in conum sat magnum sub-acuminatum, anteriora versus et sursum directum, parum sursum curvatum producta est, qui conus non parum ante frontem eminet et summo apice paullo nigro-pilosus est,

pilis supra in apice retro directis. Spatium inter *oculos* medios anticos et marginem clypei longitudinem ordinis a tribus oculis seriei anticæ formati æquat: hæc series a fronte visa recta est, desuper visa fortiter recurva; series oculorum postica a fronte visa sat leviter deorsum est curvata, desuper visa recta, ut in femina. Area oculorum mediorum, ut in ea transversa, paullulo latior antice quam postice mihi videtur. Oculi medii antici parum longius inter se quam a lateralibus anticis distant, oculi medii postici modo paullo longius inter se quam a lateralibus posticis. *Palpi* breviores; pars femoralis tibias anticas crassitie æquat; pars patellaris, eâ non parum crassior, supra convexa est, pæne dimidio longior quam latior; pars tibialis extus parte patellari parum brevior, supra et intus brevissima. Clava femoribus anticis circa triplo latior est, mandibulam latitudine æquans, globoso-ovata, fere nitida. *Abdomen* multo humilius et angustius quam in femina, mamillis non longius ab apice dorsi quam a petiolo remotis.

Color idem atque in femina, excepto quod *palpi* toti lutei sunt et pictura argentea areæ inter apicem dorsi et anum minus distincta.

♀. — Lg. corp. 4; lg. cephaloth. circa 1 $^1/_6$, lat. ej. circa $^2/_3$, lat. front. circa $^1/_3$; lg. abd. pæne 3, lat. ej. 1 $^1/_2$ millim. Ped. I 11, II 7 $^1/_4$, III 4 $^1/_4$, IV 7; pat. + tib. IV 2 millim.

Feminas duas et marem singulum examinavi.

Gen. Molione (1), n.

Cephalothorax breviter et inverse sub-ovatus, antice cito sensim angustatus, parte cephalica brevi, antice sub-elevata, fronte rotundata satis angusta; clypei altitudo longitudinem areæ oculorum mediorum superans, longitudinem mandibularum non æquans.

---

(1) Μολιόνη, nom. propr. mythol.

Oculi magni, medii pæne in rectangulum sub-transversum dispositi, bini laterales contingentes inter se. Series oculorum antica a fronte visa deorsum curvata vel sub-recta, series postica desuper visa recta. Oculi medii postici, spatio eorum diametro vix vel non æquante separati, a lateralibus posticis longius quam inter se remoti sunt.

Mandibulæ femoribus anticis crassiores, plus duplo longiores quam latiores.

Maxillæ plus duplo longiores quam latiores, in labium transversum et apice truncatum inclinatæ eoque plus duplo longiores.

Pedes graciles, aculeis carentes, ita: I, IV, II, III longitudine se excipientes.

Abdomen cute sub-duriuscula tectum et spinis armatum, sigillis punctisque majoribus impressis vero carens.

Typus: *M. triacantha,* n.

Hujus generis typus quoad formam abdominis gen. *Trithenæ,* Sim. (1), sat similis esse videtur, ceterum formis generis *Theridii* (et *Teutanæ*) præsertim affinis.

3. **M. triacantha**, n., *cephalothorace piceo, rugoso, parte cephalica clariore, lævi; palpis pedibusque sub-testaceis; abdomine paullo longiore quam latiore, postice sub-acuminato, alto, ad maximam partem sub-testaceo, spinis tribus magnis in triangulum dispositis armato, duabus earum paullo ante, tertia pone medium dorsi, in summo ejus, locatis.* — ♀ ad. *Long. circa 2 millim.*

Femina. — *Cephalothoraæ* parum longior quam latior, anterius breviter et fortiter angustatus et utrinque, parum pone oculus posticos, levissime sinuatus, lateribus partis thoracicæ ample et modice rotundatis, parte cephalica parva et transversa impressionibus cephalicis fortibus utrinque et po-

(1) *Sur trois araignées nouv.*, in Rev. et Mag. de Zool., Janv. 1867, p. (8).

stice limitata, fronte rotundata latitudine dimidiam partem thoracicam non æquante, oculis mediis anticis modice prominulis. Modice altus est cephalothorax, a latere visus a margine postico usque paullo ante medium sensim modice acclivis et parum convexus, pæne rectus, dein parum acclivis, pæne libratus et rectus, area oculorum mediorum paullo elevata, antice sat fortiter proclivi. Clypeus prærupte proclivis sub oculis transversim impressus est; altitudo ejus longitudine areæ oculorum mediorum circa dimidio est major, longitudine mandibularum vero circa dimidio minor. Pæne glaber est cephalothorax, parte thoracica dense et sat crasse rugoso-granulata, parte cephalica lævi et nitida. *Oculi* magni, pæne æquales, medii antici reliquis saltem non majores; series eorum antica a fronte visa leviter deorsum curvata est, desuper visa sat fortiter recurva; series postica desuper visa est recta, vix vel parum recurva, a fronte vero visa modice deorsum curvata. Oculi bini laterales contingentes inter se; oculi medii aream paullo latiorem quam longiorem, pæne rectangulam (vix latiorem antice quam postice) occupant. Oculi medii antici, qui spatio diametrum suam æquante separati sunt, paullo longius inter se quam a lateralibus anticis distant; oculi medii postici, spatio diametrum suam vix æquante sejuncti, evidentissime longius a lateralibus posticis quam inter se separati sunt. *Sternum* sat magnum, parum longius quam latius, parum convexum, postice breviter acuminatum, ipso apice truncato tamen inter coxas 4.[i] paris (spatio magno separatas) paullo pertinente; dense et sat fortiter rugoso-punctatum (-granulatum ?) est, nitidum et glabrum.

Mandibulæ deorsum et paullo anteriora versus directæ, parallelæ, cylindratæ, in dorso ad longitudinem leviter convexæ, plus duplo sed non duplo et dimidio longiores quam latiores, femoribus anticis non parum crassiores. *Maxillæ* plus duplo longiores quam latiores, rectæ, apicem extus rotundatum versus sensim paullo angustatæ, in labium inclinatæ eoque circa triplo longiores; *labium* transversum, apice truncatum.

Palpi sat graciles, internodiis cylindratis. *Pedes* graciles, pæne glabri, aculeis carentes. *Abdomen* modo paullo longius quam latius, altum, desuper visum globoso-ovatum, postice tamen sensim augustato-acuminatum; paullo ante medium spinis duabus fortibus conicis acuminatis, sursum et paullo foras directis, spatio non magno separatis armatum est, et pone eas spina tertia etiam paullo majore, sursum et retro directa, supra et paullo ante mamillas (spatio valde magno ab iis tamen separata) locata. Hæ spinæ tres, in triangulum pæne isoscelem in summo abdomine dispositæ, corneæ sunt et granulis crassis conspersæ. Etiam præterea cutis abdominis solito paullo durior videtur, sed lævis et glabra est, opaca, nec sigillis nec punctis majoribus impressis munita. Area inter petiolum et plicaturam genitalem longa ferruginea scabra vel rugosa in medio apicis postici tuberculum *(vulvam)* format. *Mamillæ* brevissimæ annulo sub-corneo cinctæ sunt.

Color. — *Cephalothorax* fusco-ferrugineus, pallido-marginatus, parte cephalica clarius ferruginea, clypeo sub-testaceo. *Sternum* et *partes oris* ferruginea. *Palpi* testacei, apice late infuscati. *Pedes* luteo-testacei, basi paullo clariores, immaculati. *Abdomen* sordide vel sub-luteo-testaceum plagam magnam mediam obscuriorem anterius in dorso ostendit, usque ad spinas anteriores pertinentem; in lateribus vestigia fasciarum duarum longitudinalium inæqualium albicantium video, quarum superior inferiore multo est longior; etiam declivitas abdominis postica ad longitudinem albicanti-striata est, et utrinque paullo supra mamillas, in apice laterum postico, macula sat parva nigra conspicitur. Spinæ dorsi pallide ferrugineæ. Venter secundum medium fasciam latam obscuriorem ostendit, quæ antice ferruginea est; circum mamillas color obscurior annulum fusco-ferrugineum format: ante hunc annulum maculas duas minutas nigras, unam utrinque, ostendit venter.

Lg. corp. paullo plus 2; lg. et lat. cephaloth. circa $^3/_4$; lg. abd. pæne 1 $^1/_2$, lat. ej. 1 $^1/_4$ millim. Ped. I 4 (tib. pæne 1), II 3, III circa 2 $^1/_4$, IV pæne 3 $^3/_4$; pat. + tib. IV pæne 1 millim.

Feminam singulam, quæ adulta videtur, invenit Cel. Workman.

Gen. Theridium (Walck.), 1805.

4. **Th. Weberi,** n., *densius pilosum, cephalothorace, sterno et partibus oris testaceo-rufis, pedibus ejusdem coloris, femoribus et tibiis apice late et inæqualiter nigris; abdomine nigro, fascia longitudinali brevi pallida supra anum (et lituris nonnullis aliis pallidis supra et in lateribus) notato; serie oculorum postica procurva, serie antica (a fronte visa) pæne recta, oculis illius seriei spatiis æqualibus, oculi medii postici diametrum æquantibus, separatis; vulva ex fovea parva rotundata et postice callo elevato limitata constante, quæ in fundo postice foveolas duas minutas ostendit.* — ♀ ad. *Long. circa 4 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, utrinque antice paullo pone oculos cito angustatus et sat fortiter sinuatus, parte thoracica sub-orbiculata, parte cephalica magna quidem, sed quoad libera est parva et brevi et anteriora versus angustata, fronte vix $^1/_3$ partis thoracicæ latitudine æquante, tuberculo oculorum mediorum anticorum modice prominente, lato et truncato. Impressiones cephalicæ distinctissimæ sunt, fovea centralis magna et oblonga; præterea lævis et sat nitidus est cephalothorax, pilis fortibus sub-erectis conspersus. Modice altus est, dorso a latere viso ante declivitatem posticam modo levissime convexo, pæne recto, et paullulo acclivi; area oculorum mediorum modo paullo proclivis est, clypeus valde prærupte proclivis, pæne directus; altitudo ejus longitudinem areæ oculorum mediorum æquat, longitudine ordinis a tribus oculis seriei anticæ formati paullo minor, et longitudine mandibularum fere duplo minor. *Oculi* mediocres; medii antici reliquis evidenter majores sunt, laterales antici reliquis minores. Series oculorum antica a fronte visa pæne recta est, vix vel parum deorsum curvata, desuper visa for-

titer recurva; series postica desuper visa modice procurva, a fronte visa sat leviter deorsum curvata. Oculi bini laterales contingentes sunt inter se; oculi medii aream quadratam (saltem non latiorem postice quam antice) occupant. Oculi medii antici, spatio eorum diametro paullo minore separati, inter se parum longius quam a lateralibus anticis distant; medii postici, qui spatio eorum diametrum æquante sunt sejuncti, æque longe a lateralibus posticis atque inter se remoti sunt. *Sternum* paullo longius quam latius, triangulum, antice late truncatum et in medio levissime emarginatum, in lateribus levissime rotundatum, apice postico inter coxas 4.^{i} paris producto; paullo convexum est, elevationibus levibus ad coxas, præterea læve, sat nitidum, pilosum.

Mandibulæ deorsum et paullo anteriora versus directæ, parallelæ, femoribus anticis non parum angustiores, circa duplo et dimidio longiores quam latiores, cylindratæ, apice transversim truncatæ, in dorso rectæ, læves, nitidæ, pilosæ. *Maxillæ* basi extus paullo dilatatæ; præterea apicem extus late rotundatum versus vix angustatæ sunt, fere duplo longiores quam latiores, in labium inclinatæ eoque triplo-quadruplo longiores; *labium* breve, transversum, apice late truncatum vel sub-rotundatum. *Palpi* sat fortes, parte tarsali a basi ad apicem obtusum sensim paullo angustata. *Pedes* modice longi, sat fortes, pilis longis fortibus sat dense vestiti, aculeis carentes. *Abdomen* paullo longius quam latius, inverse ovato-globosum fere, non valde altum, pilis longis sat densis suberectis vestitum, mamillis parum ante apicem posticum locatis. *Vulva* ex fovea parva (diametro apicis metatarsi 4.^{i} paris vix latior), sub-transversa, saltem postice rotundata constat, cujus in fundo, postice, foveolas duas minutas spatio angusto separatas vidisse videor; postice callo elevato nitido limitata est vulva.

Color. — *Cephalothorax* testaceo-rufus est, fuligineo-pilosus; *sternum* et *partes oris* testaceo-rufa quoque, ut *palpi*, quorum partes tibialis et tarsalis paullo infuscatæ sunt. *Pedes*, qui pilis sat longis et sat densis nigris et pallidis sunt vestiti,

testaceo-rufi sunt, femoribus apice late et valde inæqualiter nigris (colore nigro antice et postice in fasciam longitudinalem plus minus longam et latam producto), tibiis quoque eodem modo plus minus late nigris, et metatarsis posticis basi anguste nigris. *Abdomen*, pilis sub-erectis sat longis fuligineis densius vestitum, nigrum est, maculis nonnullis parum distinctis pallidis notatum: supra anum fascia longitudinalis brevis pallida conspicitur, et anterius in dorso vestigia macularum paucarum pallidarum video, in series duas parallelas non longe inter se remotas dispositarum (?); in utroque latere, magis postice, striæ vel lineæ duæ deorsum et retro directæ adesse videntur. Venter fuligineus, ante plicaturam genitalem sub-fusco-testaceus; *mamillæ* sub-fusco-testaceæ quoque.

Lg. corp. 4; lg. cephaloth. parum plus 2, lat. ej. circa 1 $^{2}/_{3}$; lg. abd. pæne 3, lat. ej. 2 $^{1}/_{4}$ millim. Ped. I 9 $^{1}/_{2}$, II 7, III pæne 5 $^{1}/_{4}$, IV 7 $^{1}/_{2}$; pat. + tib. IV 2 $^{1}/_{2}$ millim.

Femina, quam singulam vidi, ova nuper deposuisse videtur, quum abdomen ejus sat parvum et sub-corrugatum sit. — A *Th. rufipede*, Luc., cui satis affinis est hæc aranea, non tantum colore obscuriore et serie oculorum posticorum fortius procurva differt, verum etiam forma vulvæ: in *Th. rufipede* vulva tuberculum æqualiter convexum nitidissimum plerumque piceum format, quod antice sulcum vel fissuram transversam ostendit, foveolas duas minutas septo angusto separatas continentem.

Trib. ORBITELARIÆ.

Fam. **Uloboroidæ**.

Gen. Uloborus, Latr., 1806.

5. **U. quadri-tuberculatus**, n., *cephalothorace nigricanti, albo-pubescenti, oculis in duas series apicibus paullulo divaricantes dispositis, serie antica parum longiore quam postica; oculis mediis aream postice non parum latiorem quam antice et*

paullo breviorem quam latiorem postice occupantibus; pedibus 1.[i] *paris nigris, paullo pallido-annulatis, reliquis pallide testaceis, nigro-annulatis; abdomine angustius ovato, posterius angustato-acuminato, dorso anterius in tubercula quattuor in quadratum disposita elevato; dorso et lateribus abdominis albicantibus, albo-pubescentibus, apice illius et macula postica horum, ut et ventre, nigris.* — ♀ ad. *Long. circa 2 ½ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* non parum longior quam latior, utrinque anterius leviter sinuatus, parte thoracica lateribus ample rotundatis etiam anteriora versus sat fortiter angustata, parte cephalica anteriora versus sensim paullo angustata, fronte rotundata, dimidiam partem thoracicam latitudine vix æquante; a latere visum dorsum cephalothoracis ante declivitatem posticam leviter et satis æqualiter convexum est. *Oculi,* quorum medii antici reliquis paullo majores sunt, laterales antici reliquis paullo minores, aream sat brevem occupant; series duæ, in quas dispositi sunt, apicibus modo paullulo divaricant, et desuper visæ sat fortiter recurvæ sunt, præsertim postica; series antica, quæ a fronte visa sat fortiter deorsum est curvata, parum longior quam series postica videtur. Oculi medii aream occupant, quæ non parum, pæne dimidio, latior est postice quam antice, et paullo brevior quam latior postice, longior vero quam latior antice. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametrum circiter æquat; spatium inter medios posticos horum diametro circa triplo majus est; medii antici circa dimidio longius a lateralibus anticis quam inter se remoti sunt, medii postici contra pæne duplo longius inter se quam a lateralibus posticis. Oculi bini laterales parum longius inter se distant quam medii antici a mediis posticis.

Mandibulæ femoribus anticis paullo angustiores videntur, circa duplo longiores quam latiores. *Maxillæ* non longiores quam latiores, labio plus duplo longiores. *Pedes* sat breves, aculeis carentes, 1.[i] paris reliquis parum fortiores, tibiis cy-

lindratis, non apicem versus incrassatis. *Abdomen* plus dimidio, pæne duplo longius quam latius, desuper visum angustius ovatum, in medio antice paullo retusum, posterius lateribus pæne rectis sensim angustato-acuminatum; anterius satis altum est, dorso ad longitudinem sat convexo et posteriora versus declivi; in tubercula quattuor sat fortia obtusa æque magna et in quadratum disposita (duo ad utrumque latus) elevatum est, quorum duo anteriora non parum ante, duo posteriora vero paullo pone medium longitudinis dorsi locum tenent: transversim inter bina horum tuberculorum dorsum pæne rectum (parum excavatum) est. *Vulva* ex lobo sat parvo retro directo apice rotundato nigro constat, a medio marginis anterioris plicaturæ genitalis formato.

Color. — *Cephalothorax* nigricans, sat dense albo-pubescens. *Sternum, maxillæ* et *labium* in fundo nigricantia quoque. *Mandibulæ* testaceo-nigricantes. *Palpi* testacei, nigricanti-annulati. *Pedes* 1.i paris nigri vel nigricantes, annulis pallide testaceis cincti: femora basi pallida sunt, tibiæ annulum pallidum basalem satis angustum habent, metatarsi quoque basi anguste pallidiores sunt. Pedes posteriores testacei, patellis utrinque nigris, tibiis apice utrinque sat late nigris quoque, metatarsis tarsisque nigricantibus, illis annulo basali alioque medio pallidis plus minus distinctis munitis. Omnes pedes, ut palpi, tenuiter albicanti-pubescentes sunt. *Abdomen* supra et in lateribus albicans est, apice dorsi et ventre nigris, et macula nigra in utroque latere, postice, notatum; pube tenui densa alba supra et in lateribus est vestitum, pube ventris alba crassiore, ut sterni reliquarumque partium inferiorum. *Mamillæ* nigricantes.

Lg. corp. 2 $^1/_2$; lg. cephaloth. circa 1, lat. ej. saltem $^3/_4$, lat. front. vix $^1/_2$; lg. abd. 2, lat. ej. 1 $^1/_4$ millim. Ped. I 3 $^1/_2$, II pæne 2 $^1/_2$, III paullo plus 1 $^1/_2$, IV circa 3; pat. + tib. IV circa 1 millim.

Feminas duas adultas unamque juniorem parvæ hujus speciei vidi.

Fam. **Euetrioidæ.**

Gen. Argyroepeira (Em.), 1884.

6. **A. fibulata,** n., *cephalothorace cum mandibulis testaceo vel luteo; oculis utriusque seriei spatiis sat parvis et pœne æqualibus separatis, oculis mediis aream æque longam ac latam postice et latiorem postice quam antice occupantibus; pedibus sub-olivaceis, basi late testaceis, apice nigricantibus; abdomine ovato, tuberculis plane carente, luteo- vel fusco-testaceo, fasciis longitudinalibus duabus latis argenteis inæqualibus, in maculas quaternas plus minus distincte abruptis supra ornato, macula ultima oblonga nigro-limbata: spatio inter has fascias postice fascia media brevi geminata posteriora versus sensim angustata argentea notato, lateribus abdominis fascia deorsum curvata vel maculis binis magnis argenteis signatis; ventre maculis duabus sat magnis argenteis (una utrinque) in area nigra positis ornato.* — ♀ ad. *Long. circa* 2 $^{3}/_{4}$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo longior quam latior, parte thoracica in lateribus fortiter rotundata, parte cephalica anteriora versus parum angustata, fronte rotundata, dimidiam partem thoracicam latitudine fere æquante. Impressiones cephalicæ versus latera fortes sunt, fovea ordinaria centralis sat magna, transversa. Dorsum cephalothoracis a latere visum ante declivitatem posticam primum libratum et parum convexum, pæne rectum est, dein paullo proclive, area oculorum mediorum magis proclivis. Clypei altitudo diametrum oculi medii antici fere æquat. *Oculi* conférti et sat magni, medii antici reliquis paullo majores. Series oculorum antica a fronte visa modice sursum curvata est; desuper visa series antica sat fortiter est recurva, series postica sat fortiter procurva. Oculi medii aream occupant paullo latiorem postice quam antice, et

æque longam ac latam postice. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro paullo minus est: a lateralibus anticis pæne æque longe atque inter se distant hi oculi. Oculi medii postici, qui spatio diametrum suam fere æquante sunt separati, spatiis parum minoribus a lateralibus posticis distant, quam quibus inter se remoti sunt. *Sternum* inter coxas 4.[i] paris pertinet.

Mandibulæ directæ, apice paullo divaricantes, femora antica crassitie pæne æquantes, pæne duplo longiores quam latiores. *Maxillæ* divaricantes, pæne dimidio longiores quam latiores, labio transverso plus duplo longiores, apice late truncatæ, latere exteriore recto. *Pedes* mediocri longitudine, graciles valde, parcius pilosi, aculeis sat crebris gracillimis sparsi. *Abdomen* pulchre ovatum, læve, nitidum, tuberculis carens, ut videtur glabrum. *Vulva* ex fovea mediocri fere semi-circulata constat.

Color. — *Cephalothorax* læte luteo-testaceus, oculi annulis angustis nigris cincti. *Sternum* nigro- vel testaceo-fuscum, summo margine nigro; *maxillae* et *labium* paullo clariora. *Mandibulæ* luteo-testaceæ. *Palpi* basi testacei, præterea pallide olivacei, nigro-pilosi. *Pedes* sub-olivacei, basi latissime clariores, apicem versus vero magis magisque infuscatis: coxæ et trochanteres pallide lutea sunt, femora etiam paullo clariora, sub-testacea, versus apicem sub-olivacea, metatarsi et præsertim tarsi nigricantes: aculei et pili pedum nigri sunt. *Abdomen* luteo- vel fusco-testaceum, pictura pulcherrima argentea: utrinque secundum dorsum extensa est fascia lata inæqualis in maculas magnas quattuor plus minus bene separatas divulsa, quarum saltem ultima, non parum supra anum sita, oblonga et æqualis, nigro-limbata est; inter tertiam et quartam (ultimam) maculam minutam nigram utrinque video. Spatium sub-luteum inter has duas fascias antice sat latum et utrinque birame est, postice etiam latius et hic fascia longitudinali posteriora versus sensim angustata, geminata et in paria macularum parvarum divulsa notatum. Latera abdominis

anterius fasciam magnam inæqualem deorsum curvatam argenteam, in duas plagas plus minus evidenter abruptam ostendunt. Venter in medio inter plicaturam genitalem et mamillas maculis duabus (una utrinque) sat magnis rotundatis argenteis, spatio parvo separatis et area magna communi nigra inclusis ornatus est. *Mamillæ* pallidæ.

Lg. corp. 2 $^{3}/_{4}$; lg. cephaloth. fere 1, lat. ej. circa $^{3}/_{4}$, lat. front. pæne $^{1}/_{2}$; lg. abd. 2 $^{1}/_{2}$, lat. ej. pæne 2 millim. Ped. I 6, II paullo plus 5, III circa 2 $^{1}/_{2}$, IV pæne 4; pat. + tib. IV circa 1 millim.

Feminam singulam bene conservatam aliamque valde contusam et mutilatam formosissimæ hujus araneolæ examinavi.

Gen. Argiope, Sav., 1827.

7. A. **multi-fasciata**, n., *cephalothorace in fundo nigro, fascia longitudinali media latissima testacea; pedibus testaceis, femoribus dense nigro-punctatis, tibiis et metatarsis annulis ternis nigris cinctis; abdomine longo, sub-cylindrato et pone mamillas in conum sat longum retro directum producto, nigro, superius fasciis longitudinalis tribus parallelis flaventibus ornato, media earum angustiore et anterius geminata, lateralibus latioribus, lateribus abdominis etiam magis infra testaceo-sub-fasciatis; ventre fasciis duabus parallelis flavis ornato.* — ♀ jun. *Long. saltem 5 millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* forma in hoc genere ordinaria est, parte cephalica sat parva, præsertim brevi, fronte pæne truncata. *Oculorum* series antica a fonte visa recta est, desuper visa modice recurva; series postica desuper visa fere æque fortiter procurva. Area oculorum mediorum non parum latior est postice quam antice, et non parum longior quam latior postice. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametrum æquat; a lateralibus anticis spatiis paullo minoribus

separati sunt hi oculi. Oculi medii postici spatio diametro sua paullo majore sejuncti sunt, a lateralibus posticis spatiis circa dimidio majoribus remoti. *Sternum* tuberculis obtusis ad coxas munitum est.

Partes oris et *palpi* ut in affinibus. *Pedes* breves, graciles; aculeis sat crebris armati fuisse videntur. *Abdomen* fere 4.plo longius quam latius, desuper visum antice sub-truncatum et in lateribus modo levissime rotundatum, sub-cylindratum igitur; sed pone mamillas sensim in conum magnum, reliquo abdomine circa duplo breviorem, retro directum est productum, hic igitur lateribus rectis sensim angustato-acuminatum. A latere visum abdomen supra rectum est, postice, inter mamillas et apicem dorsi (coni), valde oblique truncatum, mamillis pæne duplo longius a petiolo quam ab hoc apice remotis.

Color. — *Cephalothorax* in fundo niger est, fascia latissima testacea, partem cephalicam totam occupante, secundum dorsum extensa notatus; pube adpressa argenteo-sericea æqualiter vestitus est. *Sternum* nigrum, fascia media longitudinali antice dilatata testacea. *Mandibulæ* ferrugineo-testaceæ, basi nigricantes vel nigricanti-variatæ. *Maxillæ* testaceæ, macula sat parva basali nigra. *Labium* sub-testaceum. *Palpi* flavo-testacei, puncto uno alterove nigro in parte tibiali. *Pedes* testacei, dense nigro-annulati, femoribus omnibus dense nigro-punctatis, 1.i paris præsertim; tibiæ et metatarsi annulis ternis nigris cincti sunt, tarsi saltem apice nigricantes. *Abdomen* nigrum, secundum longitudinem flavo-fasciatum: secundum medium dorsi, usque ad apicem ejus posticum, extensa est fascia flava satis angusta, anterius geminata; secundum latera, superius, fascia lata ad basin coni apicalis pertinens conspicitur, et in interstitiis inter has fascias et fasciam dorsualem vestigia video lineæ undulatæ pallidæ; inferius vero in lateribus fascia flavens brevis (postice abbreviata) et angustior, minus æqualis, paullo obliqua et nigro-striata conspicitur; venter niger fasciis duabus parallelis flavis est ornatus, quæ a plicatura genitali usque pone mamillas, extus, pertinent.

Conus apicalis in lateribus testaceo-variatus est. Partes saltem pallidæ abdominis pube argenteo-sericea vestitæ fuisse videntur. *Mamillæ* fuscæ, posteriores magis nigricantes.

♀ *jun.* — Lg. corp. pæne 5; lg. cephaloth. 1 $^1/_2$, lat. ej. circa 1 $^1/_4$, lat. front. circa $^1/_2$; lg. abd. 3 $^1/_2$, lat. ej. circa 1 millim. Ped. I 6 $^1/_2$, II 5 $^3/_4$, III pæne 4, IV circa 6; pat. + tib. IV pæne 2 millim.

Feminam singulam nondum adultam mecum communicavit Cel. Workman. Ad formam abdominis cum *A. protensa*, L. Koch (1), et præsertim cum *A. syrmatica*, id. (2), convenit hæc aranea, sed saltem colore abdominis plane alio ab iis differt. — In adultis, quæ haud dubie non parum majores sunt, forma abdominis fortasse non eadem est atque in exemplo parvo a me viso.

Gen. Poltys, C. L. Koch, 1843.

S. **P. apiculatus,** n., *cephalothorace sub-fuligineo, postice pallidiore, procursu frontali desuper viso latiore quam longiore; spatio inter oculos binos laterales spatiis inter oculos laterales anticos et oculos medios anticos saltem quadruplo majore; serie oculorum anticorum a fronte visa paullulo sursum, non deorsum, curvata; pedibus sordide fusco-testaceis, femoribus sex anterioribus annulo lato nigro prope apicem cinctis, femoribus 4.i paris pæne totis nigris; abdomine desuper viso breviter ovato, ad basin dorsi procursu parvo anteriora versus et sursum directo munito ut et utrinque pone eum, in margine dorsi antice, serie tuberculorum paucorum parvorum: ad colorem undique nigro-cinerascenti, linea paullo inæquali nigro-fusca a procursu illo basali retro fere ad $^2/_3$ longitudinis dorsi ducta, et ad api-*

(1) *Die Arachn. Austral.*, I, p. 211, Tab. XVIII, fig. 8-8b.
(2) Ibid., p. 213, Tab. XVIII, fig. 9-9b.

cem posticum hujus lineæ, utrinque, macula transversa sub-obliqua ejusdem coloris notato. — ♀ jun. *Long. saltem 10 ½ millim.*

Femina *jun.* — *Cephalothorax* forma in hoc genere ordinaria est, inverse cordiformi-ovatus fere, anteriora versus fortiter angustatus, postice in medio emarginatus; pars cephalica parte thoracica in lateribus fortiter rotundatâ saltem dupla angustior basi est, lateribus primum rectis, dein fortiter rotundatis anteriora versus primum leviter, dein fortiter angustata, denique utrinque fortiter sinuato-angustata et in procursum frontalem anteriora versus et sursum directum, sex oculos gerentem producta: hic procursus desuper visus basi non parum latior est quam longior, lateribus rotundatis anteriora versus non parum angustatus et antice rotundatus, a latere visus pæne rhomboides; antice, ubi oculos 4 medios gerit, sat prærupte proclivis et leviter convexus est, a fronte visus paullo altior quam latior, supra leviter concavatus. Impressiones cephalicæ fortes, fovea ordinaria centralis profunda et ut sulcus anteriora versus producta. A latere visus cephalothorax inter partem cephalicam convexam humiliorem-que et partem thoracicam antice convexam postice (in declivitate postica) rectam fortiter depressus est; pars cephalica pone procursum frontalem fortiter quoque depressa. Series *oculorum* antica a fronte visa modo paullulo sursum est curvata. Oculi laterales antici reliquis sub-æqualibus multo minores sunt; oculi medii aream pæne quadratam, parum latiorem postice quam antice et parum latiorem quam longiorem occupant; spatium, quo medii postici inter se distant, eorum diametro saltem dimidio majus est, ut spatium inter medios anticos. Oculi laterales antici, qui in lateribus procursus frontalis, infra, locum tenent et sat fortiter foras eminent, spatio multo minore (eorum diametrum circiter æquante) a mediis anticis separati sunt, quam quo hi inter se distant. Oculi laterales postici saltem 4.plo longius a lateralibus anticis quam hi a mediis anticis remoti sunt.

Mandibulæ directæ, angustæ, a fronte visæ tibiis anticis non multo latiores, pæne triplo longiores quam latiores, subcylindratæ, in dorso versus basin modo leviter convexæ. *Pedes* sat longi, modice robusti, anteriores præsertim apicem versus sensim attenuati et sub-acuminati, femoribus anterioribus supra ad longitudinem paullo convexis et paullulo foras curvatis, internodiis tribus insequentibus depressis et sulcis duobus longitudinalibus supra munitis; tibiæ anteriores leviter foras et, magis versus apicem, paullo deorsum curvatæ sunt, metatarsi anteriores paullo fortius deorsum curvati. Aculeis sat crebris armati sunt pedes; in pedibus anterioribus vel saltem 1.^{i} paris femora aculeos saltem 1. 1. supra et 1. 1. 1. in latere interiore habuisse videntur, patellæ utrinque 1. 1. et 1 in apice: tibiæ seriem 6 aculeorum supra ostendunt, et seriem aculeorum longorum saltem 5 in margine interiore; etiam extus aculeos paucos in tibiis video. Præterea margo interior tibiarum et metatarsorum horum pedum aculeis brevibus densissimis et creberrimis quasi vestitus est. *Abdomen* desuper visum breviter ovatum, antice altum valde; ad basin supra (loco ubi altissimum est) procursu parvo non parum longiore quam latiore, anteriora versus et sursum directo præditum est: utrinque apud hunc procursum, qui apice inæqualis est (ad apicem subter tuberculis duobus munitus?) et patellam 1.^{i} paris crassitie æquat, eâ circa duplo brevior, series longitudinalis tuberculorum parvorum circa 4 utrinque in margine dorsi, antice, conspicitur. A latere visum antice, sub procursu basali, paullo convexum et præruptum est abdomen, supra fortiter convexum et posteriora versus declive, mamillis in apice ventris locatis.

Color. — *Cephalothorax* testaceo-fuligineus (postice clarior), albo-pilosus. *Sternum* rufescenti-fuscum, *partes oris* testaceo-fuligineæ. *Palpi* sub-picei, basi clariores. *Pedes* sordide fusco-testacei, femoribus 6 anterioribus annulo lato nigro prope apicem præditis, femoribus 4.^{i} paris pæne totis nigris; in pedibus 1.^{i} et 2.^{i} parium metatarsi et tarsi infuscati sunt. Pilis,

pube et aculeis ad maximam partem pallidis vestiti et armati fuisse videntur pedes. *Abdomen* in fundo undique nigro-cinerascens est, linea vel fascia longitudinali angusta paullo inæquali nigro-fusca supra notatum, quæ a basi procursus illius pæne ad $^2/_3$ longitudinis dorsi pertinet, in medio ejus paullo dilatata: utrinque ad (pone) apicem posticum hujus lineæ macula transversa sub-obliqua sat parva nigro-fusca conspicitur, his maculis quasi lineam transversam retro fractam et in medio abruptam formantibus.

♀ *jun.* — Lg. corp. 10 $^1/_2$; lg. cephaloth. parum plus 4, lat. ej. pæne 3 $^1/_2$, lat. front. circa 1 $^1/_2$; lg. abd. (cum procursu) pæne 10, lat. et alt. ej. 7 millim. Ped. I 18, II 17 $^1/_4$, III 11 $^1/_4$, IV 14; pat. + tib. IV 5 millim.

Exemplum singulum detritum nondum adultum examinavi, cum multis aliis araneis a Cel. Workman in nido Sphegoidis (?) cujusdam (« a dauber wasp's nest ») captum.

Gen. Epeira (Walck.), 1805.

9. **E. (Cyrtophora) eczematica,** n., *cephalothorace ferrugineo-fusco, pæne lævi, albicanti-hirsuto: oculis mediis aream antice latiorem quam postice occupantibus, mediis anticis circa dimidio longius a lateralibus anticis quam inter se remotis, lateralibus binis spatio eorum diametrum saltem æquante disjunctis et tuberculo communi humili vix prominenti impositis; sterno fusco, linea media longitudinali pallidiore; pedibus fuscis (posterioribus obscurioribus), aculeis carentibus, setis pilisque nigris et albicantibus et pube brevi alba vestitis; abdomine ovato, in dorso pustulis sive granulis humilibus rotundis nitidissimis consperso, fusco, lineis duabus undulatis albis ab humeris ad apicem dorsi ductis ibique incurvis et inter se unitis notato.* — ♀ ad. *Long. circa 9 $^1/_2$ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* fere $^1/_3$ longior quam latior, utrinque antice fortiter sinuato-angustatus, parte cephalica

magna sed quoad libera est sat brevi et anteriora versus sensim paullo angustata, tuberculo oculorum mediorum sat fortiter prominente, fronte præterea truncata, non plus $^1/_3$ partis thoracicæ latitudine æquante. Humilis est cephalothorax, impressionibus cephalicis fortibus, lævis vel modo pustulis paucissimis minutis sparsus, pilis longis sub-hirsutus. *Oculi* magnitudine mediocri, medii antici reliquis paullo majores. A fronte visa series oculorum antica recta est, postica modice deorsum curvata; desuper visa utraque series fortiter recurva est. Oculi bini laterales, tuberculo humili communi et in medio paullo depresso (sed *non* ante oculum anteriorem prominenti, quum a latere inspicitur pars cephalica) impositi. spatio sunt separati. quod eorum diametro paullo majus est, sed circa duplo minus quam spatia, quibus medii antici a mediis posticis distant. Oculi medii aream occupant non parum latiorem antice quam postice, et æque longam ac latam antice. Oculi medii antici spatio sunt disjuncti, quod eorum diametro fere duplo majus est, a lateralibus anticis circa dimidio longius quam inter se remoti. Oculi medii postici spatio diametrum suam æquante sunt sejuncti; spatia, quibus a lateralibus posticis distant, hoc spatio circiter quadruplo majora sunt. Spatium inter oculos medios anticos et marginem clypei illorum diametro paullo majus videtur, sed non parum minus est quam id, quo oculi illi a mediis posticis sunt separati. *Sternum* ovato-cordiforme, elevationibus ad coxas præditum, non inter coxas 4.ti paris pertinens.

Mandibulæ femoribus anticis saltem dimidio angustiores, pæne duplo et dimidio longiores quam latiores, in dorso ad longitudinem parum convexæ; sulcus unguicularis antice 3, postice 4 (tertio reliquis majore) dentibus est armatus. *Palpi* sat robusti, obtusi. *Pedes* valde robusti, breves, aculeis carentes, setis longioribus et brevioribus obsiti, pilosi et pube brevi adpressa minus densa vestiti. *Abdomen*, saltem post partum depressum, desuper visum ovatum est, et antice et in lateribus (et postice?) rotundatum, humeris *non* in tubercula fortia ele-

vatis; opacum est, sed in toto dorso pustulis humilibus rotundis nitidissimis majoribus et minoribus satis æqualiter conspersum: duæ earum, reliquis paullo majores et antice ad margines laterales dorsi positæ, tubercula dorsualia quasi repræsentare videntur. Venter lævis; inter marginem posticum areæ *vulvæ* sat parvæ nigricantis et marginem anticum ipsius plicaturæ genitalis tubercula duo rotunda nitida nigra, spatio modo minuto separata detegi possunt, si area vulvæ paullo elevatur et ab ano inspicitur. *Mamillæ* crassæ, non parum ante apicem dorsi locatæ.

Color. — *Cephalothorax* ferrugineo-fuscus, pilis et pube albis minus densis sub-hirsutus. *Sternum* obscure fuscum, linea media longitudinali paullo pallidiore. *Mandibulæ* testaceæ, apice anguste nigricantes. *Maxillæ* et *labium* fusca, hoc apice pallidius. *Palpi* fusci (basi paullo clariores), nigro-pilosi et -setosi. *Pedes* anteriores ferrugineo-fusci sunt, posteriores obscurius fusci, omnes apice nigricantes; pube rariore albicanti vestiti et præsertim supra setis brevioribus pallidis sparsi sunt pedes, præterea nigro-setosi et pilosi, versus basin inferius pilis longis albicantibus conspersi. *Abdomen* (cum pustulis) obscurius fuscum, dorso apice nigricanti; a pustulis duabus humeralibus linea tenuis undulata alba usque ad apicem dorsi est ducta, his duabus lineis ibi incurvis et inter se unitis. Puncta 8 impressa nigra in series duas longitudinales disposita ostendit dorsum, quorum 4 media majora sunt et trapezium angustius antice quam postice formant; pilis longis albicantibus antice sparsum est, posterius vero pilis brevibus sub-luteis. Venter obscurius fuscus, sub-luteo-pubescens. *Mamillæ* nigro-fuscæ.

Lg. corp. 9 $^1/_2$; lg. cephaloth. 4 $^1/_4$, lat. ej. 3 $^1/_4$, lat. front. 2; lg. abd. 7, lat. ej. 4 millim. Ped. I 11 $^1/_4$. II 10 $^1/_2$, III 7, IV 9 $^1/_2$; pat. + tib. 3 $^1/_2$ millim.

Feminam unicam vidi. Hæc species *E. unicolori*, Dol., affinis est, sed multo minor, cephalothorace pæne lævi, abdominis forma et pictura aliis, tuberculis oculorum lateralium humilibus et vix vel parum prominentibus, cet., distinguenda.

10. E. **anaspasta**, n., *cephalothorace sub-fusco, albo-piloso; oculis mediis aream fere dimidio latiorem antice quam postice occupantibus, oculis lateralibus anticis pæne duplo longius a mediis anticis quam hi inter se remotis; sterno nigricanti, triangulo magno flavo in medio; pedibus nigris, pallido-annulatis, anterioribus (femoribus nigris exceptis) clarioribus, metatarsis basi excepta et tarsis pallidis; abdomine breviter triangulo-ovato, supra cinerascenti-fusco, margine antico nigro, et fascia longitudinali nigra albicanti-marginata, quæ triangulo non magno ad basin dorsi sito initium capit, signato, utrinque apud eum albicanti-reticulato, et dein macula vel plaga sub-ferruginea utrinque notato, posterius vero ordinibus duobus posteriora versus appropinquantibus lineolarum transversarum nigrarum; corpore vulvæ convexo, postice in scapum brevem latum triangulum producto.* — ♀ ad. *Long. circa 11 ½ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* paullo brevior quam tibia cum patella 4.ⁱ paris, modice convexus, lævis et nitidus, dense pilosus, impressionibus cephalicis fortibus, fovea ordinaria centrali oblonga, sat parva; pars thoracica in lateribus fortiter et æqualiter rotundata est, pars cephalica lateribus pæne rectis, modo levissime rotundatis anteriora versus sensim leviter angustata; frons, dimidiam partem thoracicam latitudine æquans, utrinque paullo oblique truncata est, tuberculo oculorum mediorum truncato sat prominente, tuberculis oculorum lateralium vix prominentibus. Facies a fronte visa supra fortiter et æqualiter convexa. *Oculorum* series antica a fronte visa recta est, postica sat fortiter deorsum curvata; desuper visa series postica sat fortiter, antica etiam paullo fortius est recurva. Oculi medii, quorum antici posticis paullulo majores sunt, aream occupant æque longam ac latam antice, et pæne dimidio latiorem antice quam postice. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro saltem dimidio est majus; spatium inter medios posticos oculi diametro paullo minus est. Spatia, quibus medii antici a lateralibus anticis distant, spatio inter

illos plus dimidio, fere duplo majora sunt. Oculi bini laterales, quorum anterior reliquis oculis minor est, tuberculo communi impositi sunt et inter se contingentes. *Sternum* paullo longius quam latius, elevationibus ad coxas præditum.

Mandibulae femoribus anticis non parum angustiores, patellas 4.i paris longitudine fere æquantes, circa 2 $^{1}/_{4}$ longiores quam latiores, in dorso versus basin modice convexæ, læves, nitidæ, pilis sparsæ. *Pedes* sat longi (1.i paris cephalothorace circa 4.plo longiores), crassitie mediocri, metatarsis tarsisque anterioribus tamen gracilibus; aculeis crebris mediocribus armati sunt. In pedibus 1.i paris, e gr., femora supra 1. 1. 1.. postice 1. 1. 1. 1., antice 8 aculeos ostendunt, tibiæ 4 vel 5 paria aculeorum subter, seriem aculeorum 5 intus et præterea aculeos pauciores supra et extus; metatarsi hujus paris circa 9 aculeis armati sunt. *Abdomen* breviter triangulo-ovatum fuisse videtur (in nostro exemplo contusum et lacerum est). *Vulva* ex « corpore » sub-transverso convexo et scapo lato, corpore illo parum longiore constat; scapus non ex parte anteriore corporis exit, sed continuationem ejus retro vel magis deorsum directum format: triangulus est, non longior quam latior basi, ubi corpus vulvæ latitudine æquat, pæne planus et rectus, anguste elevato-marginatus. Ad structuram vulvæ cum *E. obesa,* Thor. (1), igitur convenire videtur hæc species, ab ea saltem spatiis inter oculos seriei anticæ multo majoribus pedibusque longioribus facile dignoscenda.

Color. — *Cephalothorax* sub-fuscus, pilis longis sat densis albis sub-hirsutus. *Sternum*, cujus margines anticus et laterales sat late nigri sunt, præterea macula longa cuneata flava occupatur. *Mandibulæ* sordide fusco-testaceæ, apice magis fuscæ. *Maxillæ* et *labium* nigricantia, illæ intus pallido-marginatæ, hoc apice pallidum. *Palpi* testaceo-fuliginei, parte tibiali apice sat late, parte tarsali apice latissime nigra; nigro-pilosi sunt,

---

(1) *Studi sui Ragni Malesi e Papuani.* III. *Ragni dell'Austro-Malesia e del Capo York*, cet., in *Ann. del Museo Civ. di Storia Nat. di Genova,* XVII, pag. 109.

parte tibiali annulo e pube alba formato fere in medio prædita, parte femorali subter albicanti-pilosa. *Pedes* nigri, pallido-annulati, coxis subtus fuligineis; in pedibus anterioribus patellæ et (ad maximam partem) tibiæ testaceo-fuscæ sunt, hæ apice late nigræ et vestigiis annuli medii obscuri præditæ, metatarsi basi anguste nigra excepta et tarsi flaventes; in pedibus posterioribus patellæ nigricantes vel fuscæ sunt, tibiæ et metatarsi annulo sat lato flaventi prope basin cincti, tarsi nigri vel fusci. Nigro-pilosi et -aculeati sunt pedes, femoribus subter et tibiis in annulis pallidis albo-pubescentibus. *Abdomen* supra ad maximam partem cinerascenti-fuscum fuisse videtur; fascia media longitudinali nigra anguste albicanti-limbata a basi dorsi versus anum ducta notatum est, quæ primum triangulum mediocrem format, pone eum subito et brevi spatio angustata, dein anguste rhomboides et posteriora versus sensim angustata et ut linea desinens. Margo anticus dorsi sat late niger est; utrinque pone hunc marginem, ad latera trianguli illius, brevi spatio nigricans et crasse albicanti-reticulatum est dorsum, et his plagis reticulatis adjacet postice, intus, plaga vel macula sat magna inæqualis sub-ferruginea (?); pone has maculas, fere inter medium dorsi et anum, adest utrinque series lineolarum paucarum crassarum transversarum nigrarum gradatim decrescentium, quæ extus procurvæ et hic postice albicanti-marginatæ videntur; quæ duæ series rectæ sunt et posteriora versus inter se appropinquantes. Præterea paullo pallido-variatum est dorsum, ut latera, quæ nigricantia sunt. Venter pone plicaturam genitalem pure niger est, fascia angusta transversa flava in medio abrupta apud hanc plicaturam et maculis duabus mediocribus rotundatis flavis non parum ante mamillas nigras sitis ornatus. Pilis fortibus saltem antice in dorso albis, præterea ad partem nigris conspersum est abdomen superius.

Lg. corp. 11 $^1/_2$; lg. cephaloth. 5, lat. ej. parum plus 4, lat. front. parum plus 2; lg. abd. 6 $^1/_2$, lat. ej. circa 5 $^3/_4$ millim. Ped. I 19 $^1/_4$, II 17 $^3/_4$, III 10 $^1/_2$, IV 15 $^1/_2$; pat. + tib. IV pæne 5 $^1/_2$ millim.

Femina, quam singulam hujus aranеæ vidi, in eodem « dauber wasp's » nido capta est ac femina *Poltyis apicalati*, n., sup. p. 228 et sequ. (p. 20 in Ext.) descripta.

11. **E. perpolita,** n., *nitida, pene glabra, area oculorum mediorum circa dimidio latiore antice quam postice, oculis mediis anticis modo paullo longius a lateralibus anticis quam inter se remotis; cephalothorace olivaceo-testaceo, parte cephalica antice et in lateribus nigra; pedibus oliraceo-testaceis, femoribus basi excepta nigris, tibiis (et internodiis insequentibus plus minus evidenter) apice nigris; abdomine elliptico-hemisphærico fere, subter plano, supra valde convexo, dorso fusco maculis albicantibus 7 in tres series longitudinales dispositis et, pone eas, vittis transversis 2–3 ejusdem coloris ornato.* — ♀ ad. (?) *Long. circa 5 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* formâ ordinariâ, pæne dimidio longior quam latior, parte cephalica lateribus levissime rotundatis anteriora versus modo paullulo angustata, tuberculo oculorum mediorum anticorum fortiter prominenti, lato et truncato, fronte (etiam utrinque recte truncata) dimidiam partem thoracicam latitudine circiter æquante. Modice altus et transversim sat fortiter convexus est cephalothorax, facie sat humili a fronte visa supra convexa: lævis et nitidus est, pæne glaber, impressionibus cephalicis parum profundis. Dorsum ejus a latere visum ante declivitatem posticam sat longam et levissime convexam posterius parum convexum, anterius paullo magis convexum et, antice, modice proclive est, inter partes cephalicam et thoracicam modo levissime depressum. Series *oculorum* postica a fronte visa sat fortiter deorsum est curvata, desuper visa non parum recurva; series antica desuper visa recta, a fronte visa levissime sursum curvata est. Oculi medii postici cum lateralibus anticis lineam rectam formant, si desuper inspicitur cephalothorax. Area oculorum mediorum fere dimidio latior est antice quam postice, parum

longior quam latior antice. Oculi laterales bini, tuberculo communi impositi, spatio parvo sed distincto separati sunt. Oculi medii antici spatio sunt disjuncti, quod eorum diametrum circiter æquat, a lateralibus anticis spatiis modo paullo majoribus remoti; a margine clypei spatio parvo, $^1/_4$ diametri oculi non æquante, sejuncti sunt. Oculi medii postici, anticis mediis minores, pæne contingentes sunt inter se; spatia, quibus hi oculi a lateralibus posticis distant, eorum diametro circiter triplo majora videntur. *Sternum* non parum longius quam latius, ovato-cordiforme fere, antice latissime truncatum et sub-emarginatum, tuberculis apud coxas præditum, præterea læve et nitidum, pæne glabrum.

Mandibulæ pæne triplo longiores quam latiores, in dorso ad longitudinem modo ad basin paullo convexæ; læves et nitidi sunt, apice intus paullo pilosæ. *Palpi* ii quoque læves et nitidi, parte tarsali pilosa; pars tibialis versus apicem sensim levissime incrassata est, pars tarsalis a basi ad apicem sub-acuminatum sensim angustata. *Pedes* mediocri longitudine, graciles, parcius pilosi et setosi; in latere interiore femorum 1.^i^ paris aculeus gracilis conspicitur, præterea aculeis carere videntur pedes. *Abdomen*, quod antice partem posteriorem cephalothoracis tegit et supra petiolum sub-excavatum est, cute satis duriuscula est tectum; sub-elliptico-hemisphæricum est, supra et antice fortiter convexum, subter planum; paribus tribus foveolarum levissimarum secundum dorsum est præditum, præterea læve, nitidissimum et glabrum. *Vulva* ex lobo sat parvo sub-triangulo e medio marginis antici plicaturæ genitalis retro directo constare videtur. *Mamillæ*, non parum ante apicem posticum ventris locatæ, conicæ sunt, anteriores posterioribus majores.

Color. — *Cephalothoracæ* sordide vel sub-olivaceo-testaceus, parte cephalica antice et in lateribus nigra, lateribus partis thoracicæ anguste nigris quoque. *Sternum, mandibulæ, maxillæ* et *labium* nigra, labium apice, maxillæ intus anguste olivaceo-testacea. *Palpi* sordide vel olivaceo-testacei, parte femorali

basi, partibus tibiali et tarsali apice nigricantibus. *Pedes* olivaceo-testacei, femoribus ad maximam partem (basi excepta) nigris, tibiis anterioribus apice sat late nigris, metatarsis tarsisque omnibus apice anguste et plus minus evidenter nigris quoque. *Abdomen* supra et in lateribus piceo-fuscum, in declivitate antica vero nigrum; maculis albis hoc modo pictum est: in declivitate antica, non parum supra petiolum, duas maculas sat parvas sub-rotundatas et spatio sat magno separatas ostendit, in dorso vero 7 maculas in tres series longitudinales ordinatas, tres in serie media, binas in lateralibus. Maculæ tres anticæ sive basales magnæ et inæqualiter rotundatæ sunt, media earum antice rotundata, postice truncata; reliquæ duæ seriei mediæ transversæ (tertia reliquis non parum minor). Pone omnes has maculas dorsum vittas duas transversas latas, linea transversa piceo-fusca separatas ostendit; in ipso margine dorsi et ventris fascia albicanti utrinque et postice cingitur abdomen, quæ supra anum angusta est et arcum parvum format, convexitate sua posteriori vittarum illarum adjacentem. Venter sub-olivaceo- vel luteo-albicans est, ante plicaturam genitalem obscurior, pone (apud) eam macula maxima media sub-quadrata magis albicanti notatus: pone hanc maculam in formam trianguli medii brevis fuscus est venter. *Mamillæ*, quarum anteriores luteæ, posteriores nigræ sunt, in apice postico hujus trianguli locum tenent.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. 2, lat. ej. circa 1 $^1/_2$, lat. front. circa $^3/_4$; lg. abd. paullo plus 4, lat. ej. 3 $^1/_2$ millim. Ped. I 6 $^3/_4$, II 5 $^3/_4$, III 3 $^1/_2$, IV 5; pat. + tib. IV pæne 2 millim.

Feminam singulam vidi. Forma abdominis subter plani et cute ejus paullo duriore pulchra hæc species similitudinem quandam cum *Cyrtarachnis* quibusdam præbet, præterea *Theridio* non ita dissimilis.

12. **E. (Cyclosa) confraga**, n., *cephalothorace inter partes cephalicam et thoracicam fortiter constricto, nigro vel piceo, parte cephalica antice pallida: sterno nigro, vitta transversa*

antica et tuberculis lateralibus (interdum stria media longitudinali quoque) testaceis; area oculorum mediorum paullo longiore quam latiore, et non parum latiore antice quam postice, oculis mediis posticis sub-contingentibus inter se; spatiis quibus oculi medii antici a lateralibus anticis distant circa duplo majoribus quam quo illi inter se sejuncti sunt; pedibus pallide testaceis, sat dense sed anguste nigro-annulatis maculatisve; abdomine cinereo-luteo- et nigro-variato, dimidio-duplo longiore quam latiore, inæqualiter cylindrato, longe pone mamillas retro producto, apice late truncato tria tubercula retro directa formanti et, paullo supra medium eorum, tuberculum quartum, dorso præterea paullo ante medium in tubercula duo erecta elevato. — ♀ ad. *Long. circa 3 ½ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* longior, utrinque antice sat fortiter sinuato-angustatus, inter partes cephalicam et thoracicam fortiter constrictus, parte thoracica in lateribus ample sed non multo fortiter rotundata, parte cephalica lateribus levissime rotundatis anteriora versus parum angustata; frons, quæ dimidiam partem thoracicam latitudine æquat, rotundata est, tuberculo oculorum mediorum modice prominente. Impressiones cephalicæ fortissimæ, postice inter se unitæ; fovea ordinaria centralis (e foveolis duabus levibus formata?) non parum pone eas, in summo partis thoracicæ, locum tenet. Lævis et nitidissimus est cephalothorax, saltem antice pilis sparsus; a latere visus inter partes cephalicam et thoracicam fortiter impressus est, utraque parte fortiter convexa; pars cephalica parte thoracica saltem non humilior est, anterius modice proclivis, area oculorum mediorum fortius proclivi. A fronte visa series *oculorum* antica parum sursum curvata, pæne recta est, series postica sat fortiter deorsum curvata; desuper visa series antica fortiter, postica levissime est recurva. Oculi laterales contingentes sunt inter se; oculi medii, quorum antici posticis non parum majores sunt, aream occupant, quæ paullulo longior est quam latior antice et non parum latior antice quam

postice. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametro fere duplo minus est; a lateralibus anticis spatiis distant hi oculi, quæ eorum diametrum æquant. Oculi medii postici, sub-contingentes inter se, spatiis diametro sua fere duplo majoribus a lateralibus posticis sunt remoti. *Sternum* paullo longius quam latius, ovato-triangulum, antice late truncatum, lateribus leviter rotundatis posteriora versus angustatum, postice breviter acuminatum et inter coxas 4.i paris (non disjunctas) paullo pertinens, tuberculis distinctissimis ad coxas præditum.

Mandibulæ femora antica crassitie saltem æquant, paullo plus duplo longiores quam latiores, in dorso ad longitudinem modice convexæ. *Maxillæ* labio duplo longiores, paullulo latiores quam longiores; labium fere semi-circulatum, antice late incrassato-marginatum. *Palporum* pars tarsalis apicem obtusum versus sensim modo leviter est attenuata, apice densius pilosa. *Pedes* breves, parum pubescentes et pilosi, aculeis, ut videtur, plane carentes; pedes 4.i paris pedibus 2.i paris longiores sunt. *Abdomen* plus dimidio, pæne duplo longius quam latius est, inæqualiter cylindratum fere, a latere visum postice valde oblique truncatum, mamillis circiter æque longe ab apice dorsi atque a petiolo remotis; desuper visum antice satis anguste rotundatum est, lateribus pæne parallelis et leviter rotundatis posteriora versus vix angustatum, immo prope apicem brevi spatio sensim paullo dilatatum, postice late truncatum, angulis tubercula duo brevia sat fortia retro et foras directa formantibus, apice etiam in medio tuberculum retro directum formante et, paullo supra id, aliud tuberculum paullo majus, retro et sursum directum; dorsum paullo ante medium in tubercula duo sat fortia erecta, unum utrinque, elevatum est. Omnia sex tubercula conica et sub-acuminata sunt. *Vulva* ex « corpore » transverso plus duplo latiore quam longiore, secundum medium depresso et pallidiore constat, hac parte media partibus lateralibus rotundatis, convexis, nitidis et fuscis parum longiore: e parte media, anterius, exit scapus brevis angustus pallidus,

apicem obtusum versus sensim angustatus, retro et deorsum directus, qui vix pone corpus vulvæ pertinet.

Color. — *Cephalothorax* niger vel piceus, parte cephalica antice angustius pallida; pilis pallidis saltem antice non raris conspersus est. *Sternum* nigrum, albicanti-pilosum, vitta transversa ad marginem anticum et tuberculis apud coxas ut et stria media plus minus evidenti testaceis. *Mandibulæ* nigricanti-testaceæ. *Maxillæ* et *labium* nigra, illæ intus testaceæ, hoc apice hujus coloris. *Palpi* pallide testacei, apice nigri et nigro-pilosi, et præterea paullo nigro-annulati. *Pedes* quoque pallide testacei, dense nigro-annulati, annulis plerisque tamen ad formam lineolarum transversarum angustarum redactis. Femora binos annulos vel annulum singulum ejusmodi habent, patellæ singulum apice, tibiæ et metatarsi binos (apicales reliquis annulis perfectiores); tarsi summo apice nigri sunt. Coxæ (et trochanteres) infuscatæ. Ut palpi, in partibus pallidis albo-pubescentes sunt pedes. *Abdomen* supra et in lateribus inæqualiter cinereo-luteo- et nigro-variatum est: antice fasciam brevem vel striam longitudinalem nigram ostendit, utrinque paullo pone medium vero lineam transversam recurvam undulatam pallidam intus nigro-limbatam, quæ lineæ (extus) retro et deorsum continuatæ sunt, ita aream maximam posteriora versus *non* angustatam et tubercula omnia apicalia amplectentem antice et in lateribus limitantes: quae area versus latera magis nigricans est, secundum medium magis cinereo-lutea. Venter secundum medium usque paullo pone mamillas niger est, paullo ante medium maculis duabus sat parvis albicantibus notatus, quæ spatio magno inter se remotæ sunt; etiam utrinque apud mamillas maculæ duæ parvæ pallidæ conspiciuntur: maculæ tres utriusque lateris spatiis pæne æqualibus disjunctæ sunt, et omnes sex duas series pæne parallelas paullo incurvas formant.

Lg. corp. 3 $^1/_2$; lg. cephaloth. circa 1 $^1/_2$, lat. ej. 1, lat. front. saltem $^1/_2$; lg. abd. 2 $^1/_2$, lat. ej. pæne 1 $^1/_2$ millim. Ped. I 3, II 2 $^2/_3$, III circa 2, IV pæne 3; pat. + tib. IV paullo plus 1 millim.

Duo exempla feminea invenit Cel. Workman.

13. **E. (Cyclosa) pellax,** n., *cephalothorace inter partes cephalicam et thoracicam fortiter constricto, nigricanti, sterno nigricanti, vitta transversa antica, tuberculis marginalibus binis et stria apicali flaventibus; area oculorum mediorum paullo longiore quam latiore et non parum latiore antice quam postice, oculis mediis posticis pæne contingentibus inter se, oculis mediis anticis non parum longius a lateralibus anticis quam inter se remotis; pedibus pallide testaceis, nigro-annulatis; abdomine præsertim postice alto, vestigiis tuberculorum duorum anterius in dorso, desuper viso sub-ovato, a latere viso supra anterius convexo, posterius sub-concavato, inter apicem dorsi obtusum et mamillas latissime et oblique truncato; abdominis dorso testaceo et nigro-variato, anterius area minore magis nigra, posterius area magna nigricanti occupato, hac area in lateribus fascia lata undulato-dentata pallidiore limitata.* — ♀ ad. *Long. circa 2 ½ millim.*

Femina. — *Cephalothorax* inverse ovatus, utrinque anterius modice sinuatus, inter partes cephalicam et thoracicam constrictus, lateribus partis thoracicæ modice (antice leviter) rotundatis, parte cephalica lateribus pæne rectis anteriora versus sensim paullo angustata, fronte dimidiam partem thoracicam latitudine æquante, sub-rotundata, tuberculo oculorum mediorum anticorum tamen sat fortiter prominente; a latere visus cephalothorax inter partes cephalicam et thoracicam convexas et fere æque altas sat profunde impressus est. Nitidus et lævis est, fovea ordinaria centrali parva sed profunda et sub-transversa, pæne rectangula, prope apicem posticum partis cephalicæ sita, ita ut impressiones cephalicæ profundæ in hac fovea coëant. *Oculorum* series antica modo levissime sursum curvata est; desuper visa series antica fortiter, postica leviter est recurva. Oculi medii, quorum antici posticis paullo majores videntur, aream occupant non parum latiorem antice quam postice et paullulo longiorem quam latiorem antice. Oculi medii antici, spatio eorum diametro circiter æquante separati, non

parum longius a lateralibus anticis quam inter se distant; medii postici, spatio modo minuto sejuncti, a lateralibus posticis spatiis diametro sua plus duplo, vix vero triplo majoribus remoti sunt.

Mandibulæ femoribus anticis non parum angustiores, paullo plus duplo longiores quam latiores, in dorso parum convexæ. *Pedes* breves, modice pilosi et paullo setosi, ut videtur aculeis plane carentes; pedes 4.i paris pedes 2.i paris longitudine paullo superare sunt visi. *Abdomen* desuper adspectum inverse ovatum est, fere dimidio longius quam latius, tuberculo obsoleto utrinque anterius in dorso. Altum est, posterius non parum altius quam antice: hic a latere visum oblique truncatum est, dorso anterius paullo convexo, posterius vero paullo concavato, apice dorsi obtuso; postice inter hunc apicem et mamillas late et oblique truncatum est, spatio inter apicem dorsi et mamillas spatium inter eas et petiolum fere æquante. *Vulva* ex corpore et scapo constat: corpus plus duplo latius quam longius est, antice truncatum, postice leviter bis sinuatum, in medio non parum longius quam in lateribus, secundum medium subexcavatum vel emarginatum, parte media postice rotundata, partibus duabus lateralibus rotundatis, convexis, nitidis, pallide fuscis; scapus pallide testaceus, anterius ex hoc corpore exiens et retro directus, eo multis partibus angustior est, multo longior quam latior, lateribus parallelis, apice rotundato parum pone corpus vulvæ pertinente.

Color. — *Cephalothorax* testaceo-nigricans, summo margine nigro. *Sternum* nigricans, vitta transversa albicanti-flava prope marginem anticum, et stria longitudinali apicali maculisque binis parvis rotundatis ad margines laterales sitis flaventibus. *Mandibulæ* nigricanti-testaceæ. *Maxillæ* et *labium* nigricantia, illæ intus late testaceæ, hoc apice angustius testaceum. *Palpi* flaventes, parte tibiali apice anguste, tarsali vero apice late nigra. *Pedes* pallide testacei, femoribus, patellis, tibiis, metatarsis et tarsis apice plus minus late nigris; tibiæ et metatarsi plerique præterea annulum angustum vel maculam parvam

nigram versus medium habent; femora posteriora anterius versus basin lineam longitudinalem nigram, femora 2.i et 3.ii parium vestigia annuli vel lineolæ transversæ vel maculæ parvæ versus medium ostendunt. Coxæ et trochanteres pallide testacea, in pedibus anterioribus ad partem nigricantia tamen. *Abdomen* supra et in lateribus nigro- et testaceo-variatum est, margine antico dorsi vitta recurva valde inæquali (vel e maculis formata) pallide testacea cincto, dorso anterius, pone hanc vittam, magis nigricanti et in hoc area nigricanti, anterius, maculis duabus parvis pallide testaceis notato; posterius in dorso, extus, lineæ duæ undulatæ nigræ aream latam magis nigricantem includunt, quæ anterius colore pallido sub-geminata est, colore pallidiore hanc aream ut fascia lata valde inæquali in utroque latere abdominis limitante et etiam fere in medio dorso vittam trasversam latam valde inæqualem formante. Venter niger, maculis duabus minoribus rotundis albicanti-flavis non parum ante medium sitis et spatio magno separatis ornatus.

Lg. corp. 2 $^1/_2$; lg. cephaloth. pæne 1 $^1/_2$, lat. ej. circa 1, lat. front. circa $^1/_2$; lg. abd. 1 $^3/_4$, lat. ej. circa 1 $^1/_4$ millim. Ped. I 3 $^3/_4$, II 3 $^1/$, III pæne 2 $^1/_2$, IV 3 $^1/_2$; pat. + tib. IV paullo plus 1 millim.

Exemplum singulum femineum vidi. Hæc aranea *E. hybophoræ*, Thor. (1), simillima est, sed multo minor, abdomine in dorso anterius minus evidenter tuberculato et tuberculo vel angulo parvo sub apice dorsi obtuso carente ab ea differens. Vulva plane eadem forma atque in *E. hybophora* mihi videtur. Num modo varietas hujus est *E. pellax?*

14. **E. (Cyclosa) micula,** n., *cephalothorace inter partes cephalicam et thoracicam constricto, nigro, parte cephalica antice pallida; sterno nigricanti, tuberculis marginalibus et apicali*

---

(1) [*Viaggio di L. Fea in Birmania e regioni vicine.* II] *Primo Saggio sui Ragni Birmani,* in *Ann. del Museo Civ. di Storia Nat. di Genova,* XXV (Ser. 2.ª, V), p. 217.

pallidioribus; area oculorum mediorum paullo longiore quam latiore, et non parum latiore antice quam postice, oculis mediis posticis contingentibus inter se, mediis anticis paullo longius a lateralibus anticis quam inter se remotis; pedibus pallide testaceis, non vel parum nigro-annulatis, femoribus anticis interdum apice late rufis; abdomine ovato-globoso, tuberculis carente, cinereo-testaceo, plus minus nigro- et fusco-variato, anterius in dorso vitta transversa brevi crassa nigra interdum abrupta notato, posterius vero area sub-triangula in lateribus undulato-dentata nigricanti, quæ præcipue ex ordinibus duobus lineolarum transversarum vel macularum nigrarum, anum versus gradatim decrescentium, formata est. — ♀ ad. *Long. circa* 2 $^{3}/_{4}$ *millim.*

Femina. — *Cephalothorax* inverse ovatus fere, inter partes cephalicam et thoracicam fortiter constrictus et utrinque sat fortiter sinuatus, parte thoracica in lateribus fortiter et ample rotundata, parte cephalica brevi, lateribus levissime rotundatis anteriora versus paullulo angustata, fronte rotundata, tuberculo oculorum mediorum fortiter prominente. Lævis et nitidissimus est cephalothorax, impressionibus cephalicis fortibus et postice inter se unitis, fovea ordinaria centrali non parum pone eas, in summo partis thoracicæ, locata. A latere visus cephalothorax inter partes cephalicam et thoracicam profunde impressus est, utraque harum partium, thoracica præsertim, fortiter convexa; pars cephalica parte thoracica paullo altior est, antice leviter proclivis, area oculorum mediorum fortius proclivi. Series *oculorum* antica a fronte visa recta est, postica sat fortiter deorsum curvata; desuper visa series antica fortiter, postica levissime est recurva. Oculi bini laterales ut in affinibus contingentes sunt inter se. Oculi medii, quorum antici posticis paullo majores videntur, aream occupant paullo longiorem quam latiorem et non parum latiorem antice quam postice. Oculi medii antici spatio sunt disjuncti, quod eorum diametrum pæne æquat, a lateralibus

anticis spatiis modo paullo majoribus quam inter se separati; medii postici, pæne contingentes inter se, spatiis multo majoribus, diametro oculi medii pæne duplo majoribus, a lateralibus posticis remoti sunt. *Sternum* paullulo longius quam latius, antice truncatum, lateribus rotundatis modo postice rectis posteriora versus angustatum et breviter acuminatum, apice inter coxas posticas paullo pertinente; tuberculis parvis ad coxas præditum est.

Mandibulæ femora antica latitudine æquant, paullo plus duplo longiores quam latiores, in dorso ad longitudinem sat fortiter convexæ. *Palporum* pars tarsalis cylindrata, apice obtusa. *Pedes* sat breves, parcius pilosi, aculeis carentes; pedes 2.ⁱ paris pedibus 4.ⁱ paris evidenter longiores sunt. *Abdomen* breviter ovatum, crassum, a latere visum supra et postice fortiter convexum, sub-globosum; læve est, tuberculis carens, parce pubescens, mamillis pæne apicalibus. Area *vulvae* fusca postice foveas duas rotundatas et limbo cinctas ostendit, quæ septo medio in apice postico rotundato et earum diametrum latitudine æquante separatæ sunt: antice hoc septum foveam margine elevato fere semi-circulato postice et in lateribus cinctam (an locum scapi abrupti?) ostendit.

Color. — *Cephalothorax* niger, parte cephalica anterius ferrugineo-testacea. *Sternum* nigrum vel fuscum, tuberculis ad coxas et apice postico ferrugineis vel testaceis. *Mandibulæ* testaceo-fuscæ vel ferrugineæ. *Maxillæ* et *labium* fusca vel testacea. *Palpi* testacei, apice nigri. *Pedes* aut toti pallide testacei, summo apice excepto, aut pallide testacei, coxis magis luteis vel sub-ferrugineis, femoribus 1.ⁱ paris apice saltem supra late rubris, patellis et tibiis saltem 4.ⁱ paris apice anguste infuscatis vel macula nigra ibi, utrinque, notatis, tarsis apice anguste nigris; præterea vix annulati sunt pedes, qui ut palpi nigro-pilosi sunt. *Abdomen* cinereo-testaceum, plus minus nigro- et fusco-variatum, hac pictura ornatum: anterius in dorso, sat longe pone basin, vittam transversam brevem sat latam inæqualem vel in medio abruptam nigram ostendit,

et pone eam series duas lineolarum crassarum (vel macularum) transversarum nigrarum utrinque circa 5, posteriora versus gradatim decrescentium; quæ series, ante medium dorsi initium capientes et pæne ad anum pertinentes conjunctim aream magnam dorsualem sub-triangulam in lateribus undulato-dentatam obscuram formant: spatia inter lineolas vel maculas illas plerumque infuscata et pallido-punctata sunt, pars dorsi antica pallida plerumque nigro-punctata. Latera abdominis plus minus variata sunt, antice magis pallida, posterius obscuriora; venter niger fere in medio inter mamillas et plicaturam genitalem maculas duas majores inæquales flaventes, spatio sat magno separatas ostendit, et utrinque apud mamillas maculas binas ejusdem coloris sed paullo minores; quæ sex maculæ series duas pæne parallelas vel leviter incurvas formant. *Mamillæ* fuscæ, apice nigræ.

Lg. corp. 2 $^3/_1$; lg. cephaloth. parum plus 1, lat. ej. pæne 1, lat. front. circa $^1/_2$; lg. abd. 1 $^1/_2$, lat. ej. circa 1 $^1/_4$ millim. Ped. I 3 $^1/_4$, II pæne 3, III 1 $^5/_6$, IV paullo plus 2 $^1/_2$; pat. + tib. IV pæne 1 millim.

Exempla feminea paucissima collegit Cel. Workman. Ab *E. Mulmeinensi*, Thor. (1), cui sat similis est, statura multo minore, abdomine tuberculis carente et pedibus vix evidenter nigro-annulatis facile dignosci potest hæc species.

Gen. Milonia, Thor., 1890.

15. **M. obtusa,** n., *cephalothorace fusco, parte cephalica non multo angustiore quam est pars thoracica, ipsa fronte $^2/_3$ partis thoracicæ latitudine circiter æquante; serie oculorum postica modice recurva, oculis mediis anticis saltem duplo longius a lateralibus anticis quam inter se remotis; pedibus luteo-fuscis, apice obscurioribus, modo anterioribus aculeatis, pedibus 2.i pa-*

(1) [*Viaggio di L. Fea*, cet. II] *Primo Saggio sui Ragni Birmani*, loc. cit., p. 221.

ris pedes 4.i paris longitudine non superantibus; abdomine saltem dimidio longiore quam latiore, elliptico-cylindrato, superius sub-olivaceo, subter nigricanti, interdum vestigiis fasciarum longitudinalium albicantium triarum superius macularumque duarum pallidarum in ventre. — ♀ ad. *Long. circa 5 millim.*

Femina. — *Cephalothorax* tibia cum patella 4.i paris multo longior est, plus dimidio longior quam latior, utrinque sat fortiter sinuatus, parte thoracica in lateribus etiam anterius modice rotundata, parte cephalica magna, quoad libera est lata sed non multo latior quam longior, in lateribus præsertim ad ipsam frontem non parum rotundata, anteriora et posteriora versus sensim igitur paullo angustata, in medio parte thoracica non multo angustior, latitudine ipsius frontis (longitudine seriei oculorum anticæ) tamen modo circa $^2/_3$ latitudinis partis thoracicæ æquante: leviter rotundata est frons, tuberculis oculorum binorum lateralium et tuberculo oculorum mediorum anticorum modice prominentibus. Satis altus est cephalothorax, dorso a latere viso ante declivitatem posticam sensim paullo assurgente, in parte cephalica modice convexo et, antice, proclivi. Facies fere duplo latior quam altior est, supra modice convexa; clypeus paullo reclinatus diametrum oculi medii antici altitudine æquat. Impressiones cephalicæ versus latera latæ et fortissimæ sunt. Nitidissimus est cephalothorax, et pilis sparsus, qui, ut videtur, punctis impressis impositi sunt. *Oculi* mediocres, medii antici reliquis paullo majores. A fronte visa series eorum antica sat leviter sursum, postica paullo fortius deorsum est curvata; desuper visa utraque series modice recurva est. Oculi bini laterales contingentes sunt inter se; area oculorum mediorum paullulo longior est quam latior antice et multo, pæne dimidio, latior antice quam postice. Spatium inter oculos medios anticos eorum diametrum æquat: a lateralibus anticis spatiis saltem duplo majoribus, quam quo inter se distant, remoti sunt. Oculi medii postici spatio modo minuto ($^1/_4$ diametri oculi vix æquante) separati sunt:

a lateralibus posticis longe, spatio quadruplam oculi diametrum circiter æquante, distant. *Sternum* ovato-triangulum, non parum longius quam latius, antice late truncatum, posterius lateribus pæne rectis angustato-acuminatum, elevationibus apud coxas præditum, apice carinato inter coxas 4.^{i} paris, quæ hic, antice intus, paullo dilatatæ videntur, paullo pertinens.

Mandibulæ sub-cylindratæ, apicem versus sensim modo paullulo angustatæ, apice intus oblique truncatæ, femoribus anticis multo crassiores, duplo longiores quam latiores, in dorso modice convexæ, eodem modo ac cephalothorax pilosæ et subpunctatæ, nitidæ. *Maxillæ* labio transverso et sub-marginato duplo longiores. *Pedes* breves, sat robusti; pedes 4.^{i} paris pedibus 2.^{i} paris paullulo longiores mihi visi sunt. Pilis longioribus sat densis conspersi sunt pedes, qui etiam paullo setosi et, in pedibus anterioribus, paullo aculeati sunt. In pedibus 1.^{i} paris femora supra in medio 1, ad apicem extus 1, ad apicem intus 1. 1. aculeis brevibus munita sunt; patellæ hujus paris intus 1. 1., tibiæ intus 1. 1. et ipso apice, inferius, 2 aculeos habent: metatarsi anteriores aculeis carent, ut pedes posteriores toti. *Abdomen* saltem dimidio longius quam latius, desuper visum ellipticum, antice et postice sat late rotundatum, lateribus leviter rotundatis; a latere visum supra secundum medium libratum et parum convexum, pæne rectum est, postice, ubi æque altum est atque antice, directum sed ample et sat fortiter rotundatum, mamillis non parum ante apicem, in ventre, locatis. *Vulva* ex foveis duabus magnis constat, quæ antice lamina transversa triangula (apice retro directo) limitatæ et (saltem anterius) separatæ sunt.

Color. — *Cephalothorax* fuscus, posterius pilis nonnullis longis erectis nigris, in parte cephalica anterius pilis minus raris sub-adpressis nigricantibus conspersus. *Mandibulæ* paullo clarius fuscæ, ut *maxillæ*, quæ tamen basi nigro-fuscæ sunt. *Sternum* cum *labio* nigro-fuscum, hoc apice pallidius. *Palpi* et *pedes* luteo-fusci, summo apice nigri, aculeis, setis et pilis nigris. *Abdomen* supra virescenti-nigricans sive olivaceum, pun-

ctis impressis sex fuscis in series duas longitudinales secundum dorsum dispositis, minus dense pallido-pilosum; subter nigricans est. *Mamillæ* sub-fuscæ.

In altero exemplo (paullo minore) abdomen olivaceo-virens est, vestigiis fasciæ mediæ longitudinalis latæ (et linea tenui fusca geminatæ) albicantis in dorso, quod in lateribus quoque paullo clarius videtur; venter in medio maculas duas pallidas ostendit, spatio sat magno separatas.

Lg. corp. 5; lg. cephaloth. 2 $^1/_4$, lat. ej. 1 $^2/_3$, lat. front. 1; lg. abd. 3, lat. ej. 2 millim. Ped. I parum plus 5, II circa 4 $^1/_2$, III paullo plus 3, IV 4 $^2/_3$; pat. + tib. IV paullo plus 1 $^1/_2$ millim.

Feminas duas vidi.

Gen. Bunocrania, Thor., 1878.

16. **B. (?) picta,** n., *cephalothorace piceo-nigro, pedibus anterioribus testaceo-rufis, posterioribus testaceis; abdomine depresso, sub-ovato, antice ample rotundato, longe pone mamillas pertinente et in apice late truncato in formam anguli emarginato, apice ita lobos duos retro directos formante, dorso flavo, fascia incurva sub-marginali nigra utrinque antice, maculis duabus nigris posterius magis intus, et lineola crassa obliqua nigra in utroque lobo apicali notato.* — ♂ jun. *Long. circa 2 millim.*

Exemplum, quod unicum hujus araneæ vidi, et quod generis *Bunocraniæ,* Thor., est visum, deperditum est, antequam *formam* ejus describere potui. Ni fallor, *cephalothorax* ejus antice latus est, parte cephalica transversim satis alta et sulco longitudinali prædita, *sternum* impresso-punctatum; *pedes* brevissimi (I.^{i} paris 1 $^4/_5$ millim. longi), aculeis carentes; *abdomen* (1 $^1/_2$ millim. longum et parum plus 1 millim. latum) sub-ovatum, anterius ample rotundatum, posteriora versus non

parum angustatum, apice in lobos duos depressos brevissimos sub-triangulos, unum utrinque, diviso et circa duplo angustiore quam est abdomen loco, ubi latissimum est (i. e. non parum pone basin). *Mamillæ* longissime ab apice abdominis remotæ sunt. — De *colore* hæc adnotavi :

Cephalothorax nigro-piceus est, *sternum* nigrum, *partes oris* piceæ. *Palpi* rufescenti-fusci, *pedes* testaceo-rufescentes, posteriores pallidius testacei. *Abdomen* supra flavum, hac pictura: utrinque secundum marginem ejus anticum et lateralem fascia incurva nigra a basi ad medium longitudinis dorsi pertinens conspicitur, quæ duæ fasciæ conjunctim semicirculum in medio abruptum fere formant; parum pone medium, magis intus, maculas duas minores rotundatas nigras ostendit dorsum, et postice, in apice, duas lineolas breves crassas obliquas nigras secundum lobos usque ad apicem eorum ductas; quæ lineolæ, posteriora versus divaricantes, antice lineola transversa nigra unitæ videntur. Venter niger, fasciis duabus longitudinalibus inæqualibus flavis posteriora versus paullo divaricantibus et usque ad lobos apicales (apice etiam subter flavos) ductis notato; in medio inter apices earum posticos macula parva flava conspicitur.

Montpellier, Novembre 1892.